



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio ad B. V. Mariam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

me, velut olim Apostolos, primosque
 Christianos, per timorem me purga, li-
 quefac per pietatem, per fortitudinem
 consolida, per consilium ad cœlestia men-
 tem eleva, per scientiam exorna, per in-
 tellectum illumina, per sapientiam dul-
 cedine reple. Veni sancte Spiritus & tui
 amoris ignem in nobis accende! Veni ô
 Charitas! & totum me posside. Regna
 in me ô Charitas! gratia gratiarum, vir-
 tutum regina, operum sanctorum prin-
 cipium, radix meritorum, fons saliens in-
 vitam æternam. Hoc unicè oro, hoc peto
 per Jesum Christum, qui *ignem & Spiri-
 tum manducandum & bibendum nobis
 prestavit carne vestitis, corpus scilicet &
 sanguinem suum.* S. Ephrem. de Nat.
 Dei cap. 5.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Virgo gratiosissima, charitate & Spi-
 ritus sancti donis plenissima; hunc
 tibi à Filio tuo omnis charitatis fonte fa-
 vorem impetra, ut ita me ad hoc sacrifi-
 cium peragendum & Spiritum sanctum
 recipiendum præparem, quemadmodum
 ad Spiritum sanctum in Pentecoste, &
 Filium

Filium tuum in communione suscipiendum præparasti, ut similem quoque charitatis fervorem obtineam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

○ Sancte mi Angele Custos assiste mihi sacrificanti, juxta aram cœlestis incensi, plurimis Cherubinis & Seraphinis stipatus; quo cogitatione cherubicâ illustratus divinorum mysteriorum sublimitatem cognoscam; & charitate seraphicâ succensus eadem tractem. Amen.

Oratio ad Sanctum hodiernum.

○ Sancte N. signis & prodigiis in vita & post mortem editis clarissime, impetra mihi, obsecro, effectus charitatis admirandos, ut digniore efficiar ad sumendum & tractandum omnis charitatis fontem, omnis boni plenitudinem. Amen.

SUB SACRIFICIO.

Roga Christum Dominum ut juxta promissionem suam, mittat Spiritum Sanctum, qui te veluti olim Apostolos in alium virum commutet: nam Spiritus Sanctus teste S. Chryostomo in acta Hom. 4.